

Quintus. — Accedit postremo, siquidem profutura sit, etiam corporis sanitas.

Cur hoc sacramentum non operetur quantum potest.

XXIX. Quod si ægroti hoc tempore eam minus consequuntur, id quidem non sacramenti vitio, sed ob eam potius causam evenire credendum est, quod eorum magna pars, vel qui sacro oleo perunguntur, vel a quibus administratur, fides infirmior est: testatur enim Evangelista, Dominum apud suos (a) multas virtutes non fecisse, propter incredulitatem illorum. Quanquam etiam recte dici potest, christianam religionem, ex quo altius tanquam radices egit in animis hominum, minus iam hujusmodi miraculorum adminiculis indigere, quam olim nascentis Ecclesie initio necessaria esse viderentur.

Fides et spes ægrotantium erigendæ.

XXX. Sed tamen hoc loco fides magnopere excita erit. Utcumque enim quod ad corporis valitudinem attinet, Dei consilio et voluntate ceciderit, certa spe niti fideles debent se hujus sacri olei virtute spiritualem sanitatem consecuturos esse, futurunque ut, si eos vita decedere contingat, praclare illius vocis fructum percipient, qua scriptum est: (b) Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hæc de extremæ unctionis sacramento breviter quidem dicta sunt: verum si hec ipsa rerum capita a pastoribus latius, et ea qua decet diligenter explanata erunt, dubitandum non est quin fideles ex hac doctrina maximum pietatis fructum percipient.

(a) Matth. 15, 58. — (b) Apoc. 14, 13.

DE ORDINIS SACRAMENTO.

De sacramento ordinis cur agendum coram populo.

I. Si quis aliorum sacramentorum naturam et rationem diligenter considerarit, facile perspiciet ea omnia ab ordinis sacramento ita pendere, ut sine illo partim confici et administrari nullo modo queat, partim solemní ceremonia et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur. Quare necesse est ut pastores institutam sacramentorum doctrinam perseguentes, eo diligentius ab ordinis etiam sacramento sibi agendum arbitrentur.

Primo. — Proderit autem maxime hæc explicatio primum quidem illis ipsis, deinde aliis qui ecclesiastica vita rationem ingressi sunt: postrem etiam fidei populo: ipsis, quod, dum in hujus argumenti tractatione versantur, ad eam gratiam excitandam, quam hoc sacramento adepti sunt, magis commoventur.

Secundo. — Aliis qui in sortem Domini vocati sunt: partim ut eodem pietatis studio officiantur, partim vero, ut earum rerum cognitionem percipient, quibus instructi viam sibi ad ulteriores gradus facilius munire possint.

Tertio. — Reliquis autem fidelibus primum quidem ut intelligent quo honore digni sint Ecclesiæ ministri.

Quarto. — Deinde quoniam saepe contingit ut multi adsint, vel qui spe liberos suis adhuc infantes Ecclesiæ ministerio destinari; vel qui sua sponte et voluntate illud vitæ genus sequi velint, quos certe ignorare minime æquum est, quæ præcipue ad hanc vivendi rationem pertinent. *Quod spectat ad mores eorum qui in aliquo*

ordine ecclesiastico sunt videndum est, imo sciendum concilium Trident. in posteriore parte cuiusque sessionis quae est de Reformatione; quod vero attinet ad ordinem, ut est sacramentum, vide idem concilium, sessione 25, et de singulis ordinationibus vide concilium Carthaginense 4, sub Anastasio Pontifice, anno 398.

Hujus sacramenti quanta dignitas.

II. Primum itaque fidelibus tradendum est, quanta sit hujus instituti, si sumnum ejus gradum, hoc est sacerdotium spectemus, nobilitas et excellentia.

Primo. — Nam cum episcopi et sacerdotes, tanquam Dei interpres et internuntii quidam sint, qui ejus nomine divinam legem et vitæ præcepta homines edocent, et ipsius Dei personam in terris gerunt, perspicuum est eam esse illorum functionem, qua nulla major excogitari possit: quare merito non solum angeli, sed di etiam, quod Dei immortalis vim et numen apud nos teneant, appellantur.

Secundo. — Quamvis autem omni tempore summam dignitatem obtinuerint, tamen Novi Testamenti sacerdotes ceteris omnibus honore longe antecellunt. Potestas enim tum corpus et sanguinem Domini nostri conficiendi et offerendi, tum peccata remittendi, que illis collata est, humanam quoque rationem atque intelligentiam supererat: nedum ei aliquid par et simile in terris inventari queat.

Tertio. — Deinde vero quemadmodum Salvator noster (a) a Patre, Apostoli autem ac discipuli (b) in universum mundum a Christo Domino missi sunt: ita quotidie sacerdotes eadem, qua

(a) Joan. 8, 36. — (b) Matth. 28, 19.

illi, potestate praediti, (a) ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi mittuntur. *De Sacerdotii dignitate* vide Ignatum Epist. ad Smyrnens. Ambros. lib. 5, Epist. 51. et lib. 10, Ep. 82. Chrysostomum, hom. 60 ad popul. Antioch. et in *Mathæum homil.* 85, Nazienzen. Orat. 17 ad suos cives.

Vocari debent ordinandi, et quales?

III. Hujus igitur tanti officii onus nemini temere imponendum est; sed iis tantum qui illud virtutæ sanctitate, doctrina, fide, prudentia sustinere possint. (b) Nec vero quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Vocari a Deo dicuntur, qui a legitimis Ecclesie ministris vocantur.

Nota. Nam qui in hoc ministerium seipsos arroganter inferunt atque intrudunt, de his Dominum intellexisse docendum est, cum inquit: (c) Non mittebam prophetas, et ipsi currebant: quo quidem dominum generi nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesie calamitosius esse potest. *Vide dist. 23, multis in capitibus.*

Intentio eorum qui sacris iniciari volunt, diligenda.

IV. Sed quoniam in omni actione suscipienda magnopere refert, quem sibi quisque finem constitut (optimo enim fine posito, recte omnia consequuntur), de hoc in primis, qui sacris iniciari volunt, admonendi sunt, ut nihil sibi tanto munere indignum proponant: qui quidem locus ei diligenter tractandus erit, quo gravius hoc tempore ea in re peccare fideles solent.

(a) Eph. 4, 12. — (b) Heb. 5, 4. — (c) Jer. 25, 21.

Mala intentio.

V. Alii enim eo consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt, ut quæ ad victimum vestitumque necessaria sunt parent; ita ut præter quæsum, nihil aliud in sacerdotio, quemadmodum vulgo ceteri omnes in quovis sordidi artificii genere, spectare videantur.

Nota. Quamvis enim ex Apostoli sententia, natura et divina lex jubeat, ut (a) qui altari servit, ex altari vivat, tamen quæstus, et lucri causa ad altare accedere, maximum sacrilegium est.

Altera mala intentio.

VI. Alios honorum cupiditas et ambitio ad sacerdotalem ordinem ducit.

Tertia mala intentio.

VII. Alii vero ut divitiis affluant initiari volunt, cuius quidem rei illud argumento est, quod nisi opulentum aliquod ecclesiasticum beneficium iis deferatur, nullam sacri ordinis cogitationem habent: hi vero sunt, quos Salvator noster (b) mercenarios appellat, et quos Ezechiel dicebat: (c) Semetipsos et non oves pascer: quorum turpitudo et improbitas non solum sacerdotali ordini magnas tenebras effudit, ita ut jam nihil fere a fidelis populo haberet possit contemptus et abjectius: verum etiam efficit ut ipsi nihil amplius ex sacerdotio consequantur, quam Judas ex apostolatus munere, quod illi sempiternum exitium attulit.

Vera et recta intentio ordinandorum.

VIII. Illi autem ostio in Ecclesiam introire merito dicuntur, qui a Deo legitime vocati ecclesia-

(a) 1 Cor. 9, 15. — (b) Ioan. 10, 12. — (c) Ezech. 34, 1.

stica munera ejus unius rei causa suscipiunt, ut Dei honori inserviant.

Nota. Neque tamen hoc ita accipiendo est, quasi eadem lex æque omnibus non sit imposita. Homines enim ob eam rem conditi sunt, ut Deum colant, quod præcipue fideles, qui baptismi gratiam consecuti sunt, ex toto corde, ex tota anima, et ex totis viribus præstare debent.

Ordinandorum intentio sublimior esse debet intentione cæterorum.

IX. Verum qui ordinis sacramento initiari volunt, hoc sibi proponant opus est, ut non solum Dei gloriam in omnibus rebus querant, quod quidem cum omnibus, tum maxime fidelibus commune esse constat: sed etiam ut aliqui certo Ecclesiæ ministerio addicti, (a) in sanctitate et justitia illi serviant.

Nam ut in exercitu omnes quidem milites imperatoris legibus parent, sed inter eos tamen alius centurio, alius praefectus est, alii alia munera obeunt: ita quamvis omnes fideles pietatem et innocentiam sectari omni studio debeant, quibus rebus maxime Deus colitur, eos tamen, qui ordinis sacramento sunt initiati, præcipua quædam munera et functiones in Ecclesia exequi oportet.

In quibus sacris initiali cæleros superant.

X. Nam et sacra pro se ipsis et pro omni populo faciunt, et divinae legis vim tradunt: ad eamque prompto et alacri animo servandam fideles horuntur et instituntur: et Christi Domini sacramenta, quibus omnis gratia impertitur et augeretur, administrant: et ut uno verbo complecta-

(a) Luc. 1, 74, 75.

mur, a reliquo populo segregati in omnium longe maximo et præstantissimo ministerio se exercent.

Duplex potestas ecclesiastica: ordinis et jurisdictionis.

XI. His igitur explicatis, accedunt parochi ad ea tractanda, quæ propria hujus sacramenti sunt, ut intelligent fidèles, qui in ecclesiasticum ordinem cooptari volunt, ad quodnam officium genus vocentur, quantaque ipsi Ecclesie ejusque ministri potestas divinitus tributa sit. Ea autem duplex est: ordinis et jurisdictionis. Ordinis potestas ad verum Christi Domini corpus in sacrosancta Eucharistia referunt. Jurisdictionis vero potestas tota in Christi corpore mystico versatur; ad eam enim spectat christianum populum gubernare et moderari; et ad æternam cœlestemque beatitudinem dirigere.

Potestas ordinis ad quæ se extendat.

XII. Verum ordinis potestas non solum consecrandæ Eucharistiae vim et potestatem continet: sed ad eam accipientiam hominum animos præparat, et idoneos reddit, ceteraque omnia complectitur quæ ad Eucharistiam quovis modo referri possunt.

Hæc potestas comprobatur.

XIII. Ejus vero plura ex sacris litteris testimonia afferri possunt, sed illa præclara, et gravissima sunt, quæ apud sanctos Joannem et Matthæum leguntur: inquit enim Dominus: (a) Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta

(a) Joan. 20, 21.

sunt. Et: (a) Amen dico vobis, quæcumque aliaveritis super terram, erunt ligata et in celo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in celo. Quæ quidem loca a pastoribus ex sanctorum Patrum doctrina et auctoritate explanata, maximum veritati lumen afferre poterunt.

Hæc potestas ordinis quanta?

XIV. Hæc autem potestas plurimum illi præstat, quæ in naturæ lege ceteris heminibus, qui res sacras eurant, tributa est. V. de consecr. dist. 2. c. Nihil in sacrificiis. Concil. Trid. Sess. 25, c. 1. Iren. lib. 4. c. 34. Aug. lib. 19 de Civit. Dei, c. 23.

In lege naturæ fuere sacerdotes.

XV. Nam et illa ètas, quæ scriptam legem antecessit, suum sacerdotium, suamque potestatem spiritualem habuerit, necesse est, cum legem habuisse satie constet. Hæc duo enim ita conjuncta esse testatur Apostolus, ut eorum altero translato (b), simul etiam alterum transferri necesse sit. Cum igitur naturali instinctu homines agnoscerent Deum colendum esse, consequens erat, ut in quavis republica aliqui sacerorum et divini cultus procurationi preficerentur, quorum potestas aliquo modo spiritualis diceretur.

Christi sacerdotium Mosaico sublimius.

XVI. Eadem etiam potestate populus Israeliticus non carnit, quæ tametsi dignitate superior fuit, quam illa quæ in lege naturæ sacerdotes prædicti erant, longe tamen inferior quam legis evangeliæ spiritualis potestas existimanda est.

(a) Matth. 18, 18. — (b) Heb. 7, 12.

Potestas sacerdotalis evangelica.

Hæc enim cœlestis est, omnemque angelorum etiam virtutem superat.

A Christo ortum habet hæc potestas.

XVII. Neque a sacerdotio Mosaico, sed a Christo Domino, (a) qui non secundum Aaron sacerdos fuit, sed secundum ordinem Melchisedech ortum habet. Is enim, qui summa potestate gratiam tribuendi, et peccata remittendi prædictus fuit, hanc potestatem quamvis virtute definitam, et sacramentis adstrictam, Ecclesiæ sue reliquit.

Ecclesiæ ministrorum consecratio vocatur ordinis sacramentum.

XVIII. Quare ad eam exercendam certi ministri instituti sunt, et solemní religione consecrati : quæ quidem consecratio ordinis sacramentum, vel sacra ordinatio vocatur. Placuit autem sanctis Patribus hoc vocabulo uti, quod latissimam significacionem habet, ut dignitatem et excellētiā ministrorum Dei indicaret.

Quid sit ordo.

XIX. Est enim ordo, si propriam ejus vim, et notionem accipiamus, dispositio superiorum et inferiorum rerum, quæ inter se ita aptate sunt, ut una ad alteram referatur.

Hoc sacramentum cur ordo dicatur.

XX. Cum itaque in hoc ministerio multi sint gradus, variae functiones, omnia vero certa ratione distributa sint et collocata, recte et comode ordinis nomen ei impositum videtur.

(a) Heb. 7, 11.

PARS SECUNDA.

Ordo est sacramentum.

XXI. Quod autem inter cetera Ecclesiæ sacramenta sacra ordinatio numeranda sit, sancta Tridentina Synodus (a) ratione illa quæ sèpius repetita est, comprobavit : nam cum sacramentum sit rei sacræ signum ; id vero, quod haec consecratione extrinsecus sit, gratiam et potestatem significet, quæ illi tribuitur, qui consecratur : omnino sequi perspicuum est, ordinem vere ac proprie sacramentum dicendum esse. *Ordinem esse Sacramentum*, vide Trid. sess. 23 de Ordine, c. 1 et 3. et can. 2, 4, 5. *Concil. Florent.* indecret. *De sacr. Augst.* lib. 2 contra Epist. Parmen. c. 13, de bono conjug. c. 24 et lib. 1 de Bapt. contra *Donat.* c. 1. *Leo Epist.* 18. *Greg.* in c. 10, lib. 1 Reg.

Quando et a quo potestas conseratur.

XXII. Quare episcopus ei calicem cum vino et aqua, et patenam cum pane porrigena, cui sacerdos ordinatur, inquit : Accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.; quibus verbis semper docuit Ecclesia, dum materia exhibetur, potestatem consecrandæ Eucharistie, charactere animo impresso, tradi, cui gratia adjuncta sit ad illud munus rite et legitimate obeundum, quod Apostolus his verbis declarat : (b) Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis, et sobrietatis.

Sacramentum ordinis varios habet sui exercendi ministros.

XXIII. Jam vero, ut sacræ Synodi verbis uta-

(a) Sess. 23, de Ordine. — (b) Tim. 1, 6.

mur, cum divina res sit tanti sacerdotii administratio, consentaneum fuit quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures essent, et diversi ministrorum ordines, qui sacerdotio officio deseruirent; atque hi quidem ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores et maiores ascenderent.

Ordines ministrorum Ecclesiae quot sint, et quinam?

XXIV. Docendum igitur erit hosce omnes ordines septenario numero contineri, semperque ita a catholica Ecclesia traditum esse. quorum nomina haec sunt, ostiarius, lector, exorcista, acolytus, subdiaconus, diaconus, sacerdos. *Horum ordinum meminerunt Dionysius lib. Eccl. Hier. c. 5. Cornel. papa, in Epist. ad Fab. episcop. Antioch. exstat apud Euseb. Histor. Eccl. lib. 6, c. 35. Cœneil. Carthag. 4, can. 4 et seqq. Ignatius, Epistol. ad Antioch.*

Cur tot sint.

XXV. Hunc autem ministrorum numerum recte ita definitum esse probari potest; propter ea ministeria que ad sacrosanctum missæ sacrificium, et Eucharistiam vel conficiendam, vel administrandam, cuius causa præcipue sunt instituta, necessaria videntur.

Ordines alii maiores, alii minores, et quinque utriusque.

XXVI. Ex his alii maiores, qui etiam sacri dicuntur, alii minores sunt. Maiores vel sacri sunt, ordo sacerdotalis, diaconatus et subdiaconatus: ad minores referuntur acolyti, exorcistæ, lectores, ostiarii; de quorum singulis pauca dicenda sunt,

ut habeant parochi, unde eos potissimum instituat, quos noverint aliquo ordine initiando esse.

Prima tonsura quid sit.

XXVII. Incipendum est autem a prima tonsura, quam quidem docere oportet quandam præparationem esse ad ordines accipiendos. Ut enim homines ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus preparari solent: ita, cum tonsa capillo, beo dedicatur, tanquam aditus ad ordinis sacramentum illis aperitur: declaratur enim qualis esse debeat qui sacris imbuī cupit.

Cleri nomen unde deductum.

XXVIII. Nam clerici nomen, quod ei tunc primum imponitur, ab eo deductum est, quod Dominum sortem et hereditatem suam habere incipiat; veluti qui in Hebraeorum populo, divino cultui manipuli erant: quibus vetuit Dominus aliquam agrorum partem in terra promissionis distribui, cum inquit: (a) *Ego pars et hereditas tua. Ac quamvis id omnibus fidelibus communes sit, præcipuam tamen ratione eis conveniat necesse est, qui se Dei ministerio consecrarent. Vide Hieronym. Epist. 2 ad Nepot. et citatur 42, q. 1, c. Clericus.*

Capilli cur tondentur ad coronæ speciem.

XXIX. Tondentur vero capilli ad coronæ speciem et similitudinem, quam perpetuo conservare oportet, et ut quisque in altiori deinceps ordinis gradu collocatur; sic ejus orbis forma latior circumscribi debet.

Usus tonsuræ a quo.

XXX. Quod quidem ex Apostolorum traditione

(a) Num. 18, 20.

acceptum esse docet Ecclesia, cum de hujusmodi tondenti more sanctus (a) Dionysius Areopagita, (b) Augustinus, (c) Hieronymus, vetustissimi et gravissimi Patres meminerint.

Cur coronam gerere clericis præceptum.

XXXI. *Prima ratio.* — Primum autem omnium ferunt, Apostolorum principem eam consuetudinem induxisse ad memoriam corona, quæ ex spinis contexta Salvatoris nostri capiti fuit imposta: ut, quod impii ad Christi ignominiam et cruciaturam excoquarunt, eo Apostoli ad decus et gloriam uterentur: simulque significantur curandum esse a ministris Ecclesie, ut omnibus in rebus Christi Domini nostri speciem et figuram gerant.

Secunda ratio. — Quanquam nonnulli assenserant, hac nota regiam dignitatem declarari, quæ iis maxime, qui in sortem Domini vocati sunt, videatur convenire. Quod enim Petrus Apostolus fidelis populo tribuit: (d) Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, peculiari quadam et magis propria ratione, ad ecclesiasticos ministros pertinere facile intelligimus.

Tertia ratio. — Etsi non desunt, qui vel perfectioris vitæ professionem a clericis susceptam circuli figura quo omnium perfectissima est, significari existimant, vel externarum rerum contemptione, animique ab omnibus humanis curis vacuitatem declarari putent: quod capilli, supervacaneum quiddam in corpore tundentur.

Ostiarii ordo et munera.

XXXII. Post primam tonsuram ad ostiarii ordi-

(a) Dionys. de Eccles. hier. c. 6, part. 2. — (b) Aug. serm. 17, ad Fratres in eremo. — (c) Hier. in cap. 44 Ezech. vide Rhaban. Maul. lib. de institut. cleric. Bed. c. 5, Hist. Angl. c. 22. — (d) 1 Petr. 2, 9.

nem primus gradus fieri consuevit. Ejus munus est, templi claves et januam custodire, et aditu templi arcere eos, quibus ingredi interdictum erat. Ad sanctum etiam missæ sacrificium assistebat, curaturus ne quis proprius, quam par esset, ad sacram aram accederet, et sacerdotem rem divinam facientem interpellaret. Alia etiam ministeria illi commissa erant: ut ex ritibus qui ad ejus consecrationem adhibentur perspicere potest. Nam episcopus claves ex altari acceptas ei tradens, quem ostiarium vult instituere: Sic age, inquit, quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.

Ostiarii dignitas.

XXXIII. Magnam autem in antiqua Ecclesia hujus ordinis dignitatem fuisse ex eo intelligitur, quod his temporibus in Ecclesia servari animadvertismus. Nam thesaurarii officium, qui erat idem sacrarii custos, quod ad ostiarios (a) pertinebat, inter honestiores Ecclesie functiones etiam nunc habetur.

Lectoris ordo et officia.

XXXIV. Secundus ordinis gradus est lectoris munus. Ad eum pertinet, in Ecclesia Veteris (b) et Novi Testamenti libros clara voce et distincte recitare, praesertim vero eos qui inter nocturnam psalmodiam legi solent. Ejus quoque partes erant, prima religionis christianæ rudimenta

(a) De ostiari. vide Trid. sess. 28, de Reform. c. 17. Conc. Tolet. c. 6, et citatur dist. 25. Ostiar. Isid. lib. de Ecl. c. 14 et dist. 25, c. Perfectis, et apud Baron. Annal. Ecl. an. 54, num. 287, et an. 48, num. 78 et num. 80. — (b) Vide Cyp. Epist. 33, et Tertull. de Prescript. c. 61, et apud Baron. An. Ecl. anno 54, num. 287, et an. 54, num. 78 et 79, an. 153, num. 95, an. 456, num. 20.

fidelibus tradere. Episcopus itaque, præsente populo, in ejus ordinatione librum, quo descripta sunt, quæ ad hanc actionem attinent, illi tradens inquit : Accipe, et este verbi Dei relator habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis qui verbum Dei bene ministrarunt ab initio.

Exorcistarum ordo.

XXXV. Tertius est ordo exorcistarum, (a) quibus potestas data est nomen Domini invocandi in eos qui ab immundis spiritibus obsidentur. Quare episcopus, cum eos instituit, librum in quo exorcismi continentur, eis porrigit, usus ea formula verborum : Accipe et commenda memoriae, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.

Acolytorum ordo et munera.

XXXVI. Acolytorum (b), quartus est gradus, et ultimus eorum omnium qui minores et non sacri appellantur. Eorum munus est ministros majores subdiaconos et diaconos in altaris ministerio affectari, eisque operam dare. Præterea lumina deferunt et asservant, cum missæ sacrificium celebratur, præcipue vero, cum Evangelium legitur: ex quo et ceroferarij alio nomine vocati sunt: cum itaque ordinantur, hic ritus ab episcopo servari consuevit: primum quidem, postquam eos officij sui diligenter admonuit, lumina eorum singulis tradit in hunc modum: Accipe ceroferarium cum cereo, et scias te ad accen-

(a) De Exorcist. vide supra citat, auctores et apud Baron. An. Eccles. anno 54, num. 287, an. 44, num. 78 et num. 80, an. 257, num. 89, an. 56, num. 5 et num. 8, 9, 10, 11, 12. — (b) De Acolyt. vid. etiam. Cypr. Epist. 55, et apud Baron. Annal. Eccl. an. 44, num. 79 et num. 80.

denda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini. Deinde item ureculos vacuos, quibus aqua et vinum in sacrificio ministratur: Accipe ureculos ad sugerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.

Subdiaconorum ordo, dignitas et munera.

XXXVII. A minoribus ordinibus, iisdemque non sacris de quibus hactenus dictum est, ad majores et sacros legitimus aditus et ascensus patet. In eorum primo gradu subdiaconus collatur, cuius munus est, ut nomen ipsum declarat, diacono ad altare inservire. Sacra enim linteia, vasa, panem et vinum, ad sacrificii usum necessaria, parare debet. Nunc episcopo et sacerdoti aquam praebet, cum manus in missæ sacrificio ablunt. Epistolam etiam, que olim a diacono in missa recitabatur, subdiaconus legit, ac tanquam testis ad sacrum assistit, prohibetque ne sacerdos sacra faciens a quoquam pertubari possit.

Subdiaconi quomodo ordinantur.

XXXVIII. Haec autem quæ ad subdiaconi ministerium spectant, ex solemnibus cæremoniis, que in illius consecratione adhibentur, licet cognoscere.

Primo. — Primum enim episcopus legem perpetuae continentie huic ordini impositam esse admonet: edicique neminem in subdiaconorum ordinem cooptandum esse cui ultra hanc legem accipere non sit propositum: deinde, post solemnem litaniarum precatiōnem, que subdiaconi munera et functiones sint enumerat atque expo-

Secundo. — His peractis, eorum singuli, qui ordinantur, ab episcopo quidem calicem et sacram patenam accipiunt.

Tertio. — Ab archidiacono vero ut intelligatur subdiaconum diaconi officio subservire, urceolos, vino et aqua plenos, una cum lebete et linteolo, quo manus absterguntur, dicente episcopo : Vide cujusmodi ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo ut ita vos exhibatis, ut Deo placere possitis.

Quarto, Quinto et Sexto. — Adduntur præterea aliae preces. Ad extremum, cum episcopus sacris vestibus subdiaconum (*a*) ornavit, ad quorum singulas, propria verba et ceremonia adhibentur, tradit ei Epistolaram librum, ac dicit : Accipe librum Epistolaram, et habe potestatem legendi as in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis.

Diaconorum munera recensentur.

XXXIX. Secundum autem sacrorum ordinum gradum diaconus obtinet cujus ministerium latius patet, sanctiusque semper habitum est.

Ad eum enim pertinet episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique et sacerdoti sacra facienti, vel alia sacramenta administranti præsto esse, et in missæ sacrificio Evangelium legere.

Olim vero fidelium animos sœpius excitabat, ut sacra attenderent.

Sanguinem etiam Domini ministrabat: in qui-

(*a*) De subdiaconis præter auctores supra citatos vide Cypr. Epist. 24, et Epist. 42, dist. 17, c. Presbyteris. Can. Apost. can. 25. Conc. Carthag. 4, can. 5. Arelat. 2, can. 2, Aurel. 3, c. 2. Eliber. can. 55. Leo I Epistol. 82, item. apud Baron. Anal. Eccl. an. 44, num. 79 et 80, an. 155, num. 72, num. 97, an. 259, num. 21, an. 524, num. 128, an. 588, num. 48, an. 598, num. 6, an. 1057, num. 22.

bus Ecclesiis ea consuetudo erat, ut fideles Eu-
charistiam sub utraque specie sumerent.

Diacono præterea ecclesiasticorum bonorum dispensatio commissa erat, ut unicuique necessaria ad victimum subministraret.

Ad diaconum etiam attinet, tanquam episcopi oculum, pervestigare quinam in urbe pie et religiose, quive secus vitam traducant: qui ad sa-
crificium et concionem statim temporibus conve-
niant, qui rursus non convenient: ut, cum de
omnibus episcopum certiore fecerit, ille vel
privatum unumquemque hortari, admonere, vel
palam corrigeret et objurgare possit, uti se magis
profecturum esse intellexerit.

Catechumenorum etiam nomina recitare debet
et eos qui ordinis sacramento initiandi sunt,
ante episcopum statuere.

Licet ei præterea, si absit episcopus et sacer-
dos, Evangelium explanare, non tamen e super-
riori loco, ut intelligatur hoc ejus proprium
mirus non esse.

Diconi quanta diligentia seligendi.

XL. Quanta vero diligentia adhibenda sit, ne quis eo munere indignus ad hunc ordinis gradum ascendet, Apostolus ostendit, cum ad Timo-
theum (*a*) diaconi mores, virtutem et integritatem exposuit.

Diagonorum ordinatio.

XLI. Hoc idem satis etiam declarant ritus et
solemnies ceremoniaæ quibus ab episcopo conse-
cratur. Pluribus enim et sanctioribus precibus ad
diconi quam ad subdiaconi ordinationem uitur
episcopus; et alia addit sacrarum vestium orna-

(*a*) 1 Tim. 5, 8.

menta. Preterea manus ei imponit : quod quidem ab Apostolis factitatum esse legimus, (*a*) cum primos diaconos (*b*) instituerunt. Denique Evangeliorum librum ei tradit his verbis: Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.

Sacerdotum ordo.

XLI. Tertius omniumque sacerorum ordinum summus gradus est sacerdotium : qui vero illo predicti sunt, eos veteres Patres duobus nominibus vocare solent.

Cur presbyteri vocentur.

XLIII. Interdum enim presbyteros appellant quod Græceseniores significat, non solum propter ætatis maturitatem quæ huic ordini maxime necessaria est, sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam et prudentiam; ut enim scriptum est: (*c*) Senectus venerabilis est, non diurna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.

Cur sacerdotes.

XLIV. Interdum vero sacerdotes vocant, tum quia Deo consecrati sunt, tum quia ad eos perti-

(*a*) Act. 6, 6. — (*b*) De diaconis præter citatos supra, vide Clem. Rom. Constit. Apostol. lib. 2, c. 6. Cypr. de Lapsis Amb. lib. 1, Offic. c. 41. Leo I serm. de S. Laurent. Clem. Rom. Epist. 1, ad Jacob, fratrem Domini. Hier. Epist. 48, et apud Baron. Ann. Ecc. an. 35, num. 41, an. 54, num. 283 et 285 et 287, an. 45, num. 516, an. 44, num. 78 et 80, an. 57, num. 51 et num. 195, an. 58, num. 102, an. 112, num. 7, 8 et 9, an. 516, num. 48, an. 521, num. 125, an. 525, num. 152, an. 402, num. 44 et 47, an. 508, num. 15, an. 741, num. 15, — (*c*) Sap. 4, 8.

net sacramenta administrare, sacrasque res et divinas tractare.

Sacerdotium duplex.

Sed quoniam duplex sacerdotium in sacris Lit- teris describitur, alterum interius, alterum exter- num : utrumque distinguendum est, ut, de quo hoc loco intelligatur, a pastoribus explicari pos- sit.

Internum.

XLV. Quod igitur ad interius sacerdotium atti- net, omnes fideles, postquam salutari aqua abluti sunt, sacerdotes dicuntur : præcipue vero justi qui spiritum Dei habent et divina gratia beneficio Iesu Christi summi sacerdotis viva membra effecti sunt: hi enim fide, qua charitate inflammatur, in altari mentis sue spirituales Deo hostias immolant : quo in genere bona omnes et honesta actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandæ sunt. Quare in Apocalypsi ita legimus: (*a*) Christus lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo, et Patri suo. In quam sententiam ab Apostolorum principe dictum est: (*b*) Ipsi tanquam lapides vivi superadficamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offentes spi- rituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Chri- stum. Et Apostolus nos hortatur ut (*c*) exhibe- mus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum. David item multo ante dixerat: (*d*) Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Quæ omnia ad interius sacerdotium spectare facile intelligitur.

(*a*) Apoc. 1, 5. — (*b*) 1 Petr. 2, 5. — (*c*) Rom. 12, 1. — (*d*) Ps. 50, 19.

Externum sacerdotium.

XLVI. Externum vero sacerdotium, necnonium fidelium multititudini (*a*), sed certis hominibus convenit, qui legitima manuum impositione, solemnibusque sanctæ Ecclesiæ ceremoniis instituti, et Deo consecrati, ad aliquod proprium sacramque ministerium adscribuntur.

Duplex sacerdotium ex veteri lege probatur.

XLVII. Hoc sacerdotii discrimen in veteri etiam lege observari potest: nam de interiori Davidem locutum esse, paulo ante demonstratum est. Externi vero, nemo ignorare potest quam multa Dominus Moysi et Aaron præcepta dederit. Præterea, universam Leviticam tribum ministerio templi adscripsit, ac lege cavit ne quis ex alia tribu in eam functionem se inferre auderet: quare (*b*) Ozias rex lepra a Domino percussus, quod sacerdotiale munus usurpasse, arrogantiae et sacrilegii sui gravissimas pœnas dedit.

Hic agitur de exteriori sacerdotio.

XLVIII. Quia igitur eamdem sacerdotii distinctionem in lege evangelica licet animadvertere, docendi erunt fideles nunc de sacerdotio externo agi quod certis hominibus attributum est. Hoc enim tantummodo ad ordinis sacramentum pertinet.

Sacerdotis consecratio explicatur.

XLIX. Sacerdotis igitur munus est, Deo sacrificium facere, ecclesiastica sacra menta administrare, quemadmodum ex consecrationis ritibus perspicitur.

(*a*) Amb. lib. 4 de Sacram. c. 1. Aug. lib. 10 de Civit. Dei, c. 6 et 10. Leo Serm. 5. De annivers. Pontifici. — (*b*) 2 Par. 26, 18, 19.

Primo. — Nam episcopus cum aliquem sacerdotem instituit, primum quidem manus ei, una cum omnibus sacerdotibus qui adsunt, imponit.

Secundo. — Deinde solam humeris aptans, eam ante pectus in crucis formam componit: quo quidem declaratur sacerdotem virtute indui ex alto, qua possit crucem Christi Domini et jugum suave divinae legis perferre, eamque non verbis solum, sed vite sanctissime et honestissime actæ exemplo tradere.

Tertio. — Postea manus sacro oleo inungit, tum vero caliceum cum vino et patenam cum hostia tradit, dicens: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missaque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis. Quibus ceremoniis et verbis interpres ac mediator Dei et hominum constituitur: que præcipua sacerdotis functio existimanda est.*

Quarto. — Ad extremum vero manibus iterum ejus capiti impositis: (*a*) *Accipe, inquit, Spiritum sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt: eique coelestem illam, quam Dominus discipulis suis dedit, peccata retinendi ac remittendi potestatem tribuit.*

Quinque gradus in ordine sacerdotali.

L. Haec vero sunt sacerdotalis ordinis propria et præcipua munera: qui tametsi unus est, variis tamen dignitatibus et potestatis gradus habet.

Primus sacerdotum.

Primus est eorum qui sacerdotes simpliciter vocantur, quorum functiones hactenus declaratae sunt.

(*a*) Joan. 20, 22, 25.

Secundus episcoporum.

Secundus est episcoporum, qui singulis episcopatibus praepositi sunt, ut non solum ceteros Ecclesiae ministros, sed fidelem populum regant, et eorum saluti summa cum vigilantia et cura prospiciant. Quare in sacris Litteris pastores ovium sepe appellantur: quorum munus et officium Paulus descripsit, ut in Apostolorum Actis legimus (a) in ea concione quam ad Ephesios habuit. Itemque a Petro (b) Apostolorum principe, divina quadam episcopalis ministerii regula tradita est: ad quam si episcopi actiones suas dirigere studeant, dubitandum non erit quin pastores boni et sint et habeantur. Sed idem episcopi et pontifices dicuntur, accepto ab ethniciis nomine, qui principes sacerdotum pontifices appellare conseruerunt.

Tertius archiepiscoporum.

Tertius gradus est archiepiscoporum, qui pluribus episcopis praesunt, qui metropolitani etiam vocantur, quod illarum urbium anstittites sint, quæ tanquam matres habeantur illius provinciæ; quare superiorem quam episcopi locum et ampliorem potestatem habent, tametsi ab episcopis ordinatione nihil differant.

Quartus patriarcharum.

In quarto gradu patriarchæ collocantur: id est, primi supremique Patres. Olim in universa Ecclesia, præter summum Romanum Pontificem quatuor tantum patriarchæ numerabantur, neque omnes tamen dignitate parer; nam Constantinopolitanus, etsi ad eum post omnes alios hic honos delatus sit, tamen ob imperii majestatem

a) Act. 20, 28. — (b) 1 Pet. 5, 2.

altiorem locum obtinuit. Proximus est Alexandrinus, cuius Ecclesiam Marcus Evangelista jussu principis Apostolorum fundavit. Tertius Antiochenus, ubi Petrus sedem primo locavit. Extremum gradum habet Hierosolymitanus, quam Ecclesiam Jacobus, frater Domini, rexit.

Quintus summi Pontificeis.

Præter hos omnes, catholica Ecclesia Romanum pont. max. quem in Ephesina synodus Cyrilus Alexandrinus, archiepiscopum, totius orbis terrarum patrem et patriarcham appellat, semper venerata est: cum enim in Petri Apostolorum principis cathedra sedeat, in qua usque ad vitam finem sedisse constat, summum in eo dignitatis gradum et jurisdictionis amplitudinem, non quidem ullis syndicis, aut aliis humanis constitutionibus, sed divinitus datam agnoscit: quonamobrem omnium fidelium, et episcoporum, ceterorumque antistitum, quocumque illi munere et potestate prediti sint, pater ac moderator universalis Ecclesiæ, ut Petri successor, Christique Domini verus et legitimus vicarius, presidet. De primatu summi Pontificis vide Anaclet. Epist. 5. c. 5, et cit. dist. 22. c. Sacrosancta. Gregor. lib. 7, Epist. 64 et 65. Nicol. Pap. Epist. ad Mediolanens. et citatur dist. 22. c. Omnes. Vide item eadem dist. c. Constant. Cone. Chalced.

in Epist. ad Leonem.

Quid docendum de ordine.

Ll. Ex his itaque pastores docebunt, et quæ sint ecclesiasticorum ordinum ac graduum præcipua munera et functiones, et qui hujus sacramenti minister sit.

Minister sacramenti ordinis episcopus.

Ll. Constat enim ad episcopum eam admini-

strationem pertinere: quod etiam sanctorum Literarum auctoritate, certissima traditione, omnium Patrum testimonio, conciliorum decretis, sanctae Ecclesiae usu et consuetudine facile erit comprobare. Quamvis autem nonnullis abbatibus permisum sit, ut minores et non sacros ordines interdum administrent; tamen hoc proprium episcopi munus esse nemo dubitat, cui uni ex omnibus, praetera nemini licet reliquis ordinibus, qui maiores et sacri dicuntur, initiare. Nam subdiaconos, diaconos et sacerdotes unus tantum episcopus ordinat: episcopi ex Apostolorum traditione, que perpetuo in Ecclesia custodita est, a tribus episcopis consecrantur.

In assumendis sacerdotium maxima cautio adhibenda.

LIII. Sequitur nunc ut explicetur quinam ad hoc sacramentum, in primisque ad sacerdotalem ordinem apti sunt, et que in eis potissimum requirantur. Ex hoc enim difficile non erit statuere, quid in aliis ordinibus dandis, pro cuiusque officio et dignitate observare oporteat. Maximam autem in hoc sacramento cautionem adhibendam esse ita colligitur, quod cetera gratiam ad illorum sanctificationem et usum tribuant, a quibus percipiuntur: at vero qui sacris initiantur, ob eam rem celestis gratiae participes fiunt, ut eorum ministerio, Ecclesiae atque adeo omnium hominum salutis consulatur.

Nota. Ex quo factum esse intelligimus, ut statim tantummodo diebus quibus etiam solemnia jejunia ex vetustissimo catholica Ecclesiae more indicuntur, ordinationes fiant: ut scilicet fidelis populus ejusmodi sacrarum rerum ministros pii et sanctis precationibus a Deo impetrat, qui ad

tanti ministerii potestatem recte, et cum Ecclesiae utilitate gerendam aptiores esse videantur.

Creando in sacerdotem morum integritas necessaria est.

LIV. Primum itaque in eo qui sacerdos creandus est, vite et morum integritas commendetur magnopere oportet: non solum quia, si aliquis mortiferi peccati conscius se initiari curet, vel etiam patiatur, novo se et maximo sclero obstringit; sed etiam quia virtutis et innocentie lumen alius preferre debet. Ea de re, quid Apostolus (a) Titô et (b) Timotheo precipiat, pastoribus declarandum erit, et simul illud docendum, ea corporis vitia, que in veteri lege ex Domini prescriptione aliquem ab altaris ministerio excludebant, in evangelica lege ad animae vitia praeципue transferenda esse. Quare sanctam illam consuetudinem in Ecclesia servari animadvertisimus, ut qui sacris initiandi sunt, prius penitentia sacramento conscientiam purgare diligenter studeant.

Scientia eidem quoque necessaria.

LV. Præterea in sacerdote non solum ea cognitio requirenda est, quæ ad sacramentorum usum et tractationem pertinet; sed etiam sacrarum Literarum scientia ita instructum esse oportet, ut populo christiana fidei mysteria, et divinæ legis precepta tradere, ad virtutem et pietatem incitare, a vitiis revocare fideles possit. Sacerdotis enim duo sunt munera, quorum alterum est, ut sacramenta rite conficiat et administret alterum, ut populum fidei sua commissum iis rebus et institutis quæ ad salutem necessaria sunt, eruditat. Malachias enim ita testatur: (c) *Labia sacerdotis*

(a) Ad Titum, 1. — (b) 1 Tim. 5. — (c) Malach. 2, 7.

custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est. Ut igitur in horum altero, si mediocri cognitione sit ornatus, præstare, quod debet, possit; alterum certe non vulgarem, sed exquisitam potius doctrinam desiderat; quamvis æque ab omnibus sacerdotibus summa reconditarum rerum scientia non exigatur, sed quæ ad suscepti officii, et ministerii functionem unicuique satis esse possit.

Quod ordinandi non sint pueri, furiosi, amantes, etatem non habentes.

LVI. Pueris autem, et furiosis, vel amentibus, quod usu rationis carent, hoc sacramentum datum non est; quamvis, si iis quoque administratur, sacramenti characterem in eorum animam imprimi certo credendum sit.

Qui vero etatis annus in singulis ordinibus sit exspectandus, ex sacri Tridentini concilii decretis facile erit cognoscere.

Servi.

Excipiuntur etiam servi: neque enim divino cultui dedicari debet, qui non sui juris, sed in alterius potestate est.

Homicidæ.

Viri præterea sanguinum, et homicidæ, quia ecclesiastica lege repelluntur, atque irregulares sunt.

Spurii.

Spurii quoque et ii omnes qui ex legitimis nuptiis non sunt procreati. Decet enim ut qui sacris addicuntur, nihil in se habeant, quo ab aliis merito contemni ac despici posse videantur.

Corpo deformes.

Ad extremum etiam admitti non debent qui

aliquo insigni corporis vitio deformes aut manci sunt, ea enim foeditas et debilitas tum offenditionem habet, tum vero sacramentorum administrationem impedita necesse est.

Sacramenti ordinis effectus.

LVII. Sed jam his rebus expositis, superest ut pastores doceant qui sint hujus sacramenti effectus.

Primus. — Constat vero, quamvis ordinis sacramenta, ut antea dictum est, maxime ad Ecclesias utilitatem et pulchritudinem spectet, tamen in ejus quoque anima, qui sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficiere: qua idoneus habilisque ad recte munus suum fungendum sacramentaque administranda reddatur: quemadmodum etiam baptismo gratia quilibet ad alia sacramenta percipienda aptus efficitur.

Secundus. — Aliam quoque gratiam hoc sacramento tribui perspicuum est, precipuum videlicet potestatem quæ ad sanctissimum Eucharistie sacramentum refertur, in sacerdotem quidem plenam et perfectam, ut qui Domini nostri corpus et sanguinem unus potest confidere, in aliis vero inferiorum ordinum ministris maiorem minimo remve, quo quisque ministerio suo magis minusve ad altaris sacramenta accedit.

Character.

Atque haec potestas etiam character spiritualis dicitur: quod qui sacris imbuti sunt, interiori quadam nota animæ impressa, ab aliis fidelibus distinguantur, ac divino cultui mancipentur; ad quam Apostolus videtur spectasse, cum ad Timotheum ait: (a) Noli negligere gratiam quæ in te

(a) 1 Tim. 4, 14.

est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum prebysterii. Et alibi: (a) Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Hæc de ordinis sacramento satis dicta sint: potiora enim tantum rerum capita pastoribus tradere professi sumus, ut illis ad fidem populum docendum et in christiana pietate erudiendum argumenta supeditarentur.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

Virtus continentiaz omnibus optanda.

I. Quoniam pastoribus beata et perfecta christiani populi vita proposita esse debet, iis quidem maxime optandum esset quod Apostolus se cuperet ad Corinthios scribebat his verbis: (b) Volo omnes homines esse sicut meipsum; nimisrum, ut omnes continentiaz virtutem sectarentur; nihil enim beatius in hac vita fidelibus potest contingere, quam ut animus, nulla mundi cura distractus, sedataque et restincta omni carnis libidine, et in uno pietatis studio, et cœlestium rerum cogitatione conquiescat.

Matrimonii sanctitas accurate prædicanda.

II. Sed quoniam, ut item Apostolus testatur, (c) unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic; et matrimonium magnis et divinis bonis ornatum est; ita ut inter alia catholica Ecclesiæ sacramenta vere et proprie numeretur, ac (d) Dominus nuptiarum celebritatem presentia sua honestarit: satis appetret, ejus doctrinam tradendam esse, cum præser-

(a) 2 Tim. 4, 6. — (b) 1 Cor. 7, 7. — (c) 1 Cor. 7, 7. —
(d) Joan. 2, 2.

tim liceat animadvertere, tum sanctum Paulum, tum Apostolorum principem, quæ non solum ad dignitatem, sed etiam ad officia matrimonii pertinebant, pluribus locis accurate scripta reliquise. Divino enim spiritu afflati optime intelligebant, quanta et quam multa commoda ad christianam societatem pervenire possent, si fideles matrimonii sanctitatem cognitam haberent, et inviolatam servarent; contra vero, ea ignorata vel neglecta, plurimas maximasque calamitates et detrimenta in Ecclesiam importari.

Quid de matrimonio primo explicandum.

• III. Primum itaque matrimonii natura et vis explicanda est; nam cum virtus sepe honesti similitudinem gerant, cavere oportet ne fideles falsa matrimonii specie decepti, turpitudine et nefariis libidinibus animam commaculent: cuius rei declarandæ causa, a nominis significatione ordendum est.

Varia nomina.

IV. Matrimonium ab eo dicitur, quod femina idcirco maxime nubere debet, ut mater fiat, vel quia præfæma concipere, parere, educare matris munus est.

Conjugium.

Conjugium quoque a conjugendo appellatur, quod legitima mulier cum viro quasi uno jugo adstringatur.

Nuptiaz.

Præterea nuptiaz, quia, ut inquit sanctus Ambrosius, pudoris gratia puellæ se obnubarent; quo etiam declarari videbatur, viris obedientes subjectasque esse oportere. *De his nominibus vide August. lib. 19 contra Faust. c. 26. Amb. lib. 1 de Abraham, c. 9. in fine. Item vide 50, q. 5,*